GYMNASIUM ZU ZWICKAU.

Jahresbericht

über

das Schuljahr von Ostern 1872 bis Ostern 1873,

womit

zu dem am 27. März stattfindenden

feierlichen Redeactus

und der

auf den 31. März, 1. und 2. April

festgesetzten

öffentlichen Prüfung der Classen

im Namen des Lehrercollegiums

ergebenst einladet

Professor Dr. Max Erler,

Rector.

Voran geht

eine Abhandlung des 7. Oberlehrers **Richard Richter:**

De Albii Tibulli tribus primis carminibus disputatio.

Zwickau,

Druck von R. Zückler.

1873.

Herrn Oberl. Dr. Angermann

empfiehlt sich

M. E.

De Albii Tibulli tribus primis carminibus disputatio.

Tibulli carmina commentariis instructa quum apud Weidmannos emittere constituissem, huiusce libelli conscribendi officio imposito si mei de Tibullo iudicii specimen ita ederem, ut locos quosdam aut emendatione mutandos aut noua interpretatione defendendos accuratius pertractarem, nec oblatam chartam perdere nec proposito maiori operi quicquam detrahere mihi uidebar. Nam in illo, ut maxime iuuentutis litterarum studiosae necessitatibus subueniet, eiusmodi disputationibus criticis et exegeticis uix erit locus. Elegi autem, de quibus hic dissererem, primas tres elegias. Quaeres: cur has potissimum? Quia primae sunt. Indicare enim uolebam non selecta singula carmina, ut assolet, sed omnia pari cura examinata et interpretata noua editione propositurum me esse. Itaque aut omnia hoc loco, id quod fieri non poterat, aut prima quaeque, ut feci, debebam persequi. In quibus quaecumque nouare ausus sum, quamuis uera aut uerisimilia esse persuasum habeam, tamen non ita meorum inuentorum admirator sum, ut ea pro lectionibus adhuc probatis in ipso libro suppositurus sim; sed asterisco tantum aut diuersis typis notato quoque loco suspicioso, quid aliud sentiam, infra memorabo. Tota autem censura mea Luciani Mülleri egregia opera ita nititur, ut quam uiam ille muniuit, ea procedenti mihi raro declinandi necessitas, siue magis placet ius esse uisum sit.

I.

Primum carmen Alfr. Schoenius (uid. theses adiectas ad quaest. Hieronym. capita sel. ed. Berol. 1864) librariorum neglegentia e duobus conflatum suspicans ita dirimit, ut uersu 35 *Hic ego pastoremque meum* alterius initium statuat. Hoc aut fallor aut nondum usquam uir doctissimus quibus argumentis putaret comprobandum edidit, si quidem comprobari posse etiamnunc credit. Ego uero ut ab hac dirimendi ratione prorsus abhorreo, ita illud obseruandum arbitror propinquo loco incisam singularem in modum esse orationem totumque carmen bipartito compositum. Vide enim uersu 41 ad easdem, unde orsus est, sententias redire poetam, ad diuitiarum contemptionem securaeque et otiosae paupertatis desiderium, quin etiam ipso uerbo assimulatos esse hos locos: *non ego diuitias — diuitias alius.* Porro mitte pau-

lisper uersus 39. 40, habebis hunc reditum ad primam primariamque sententiam ipso medio carmine ita factum, ut duae exstent eiusdem longitudinis strophae. Illo autem disticho:

Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis
Pocula, de facili composuitque luto

non solum superuacanei aliquid inferri, sed etiam interrumpi et turbari sententiarum ordinem fateberis, si haec mecum consideraris. Vocat poeta deos ad sacras dapes (37); excusat earum tenuitatem (38); prouocat ad antiquos homines (39. 40). Quid ergo? qui modo antiquam simplicitatem laudauit eiusque exemplum sequi se confirmauit, num is de patrum diuitiis et antiqui aui messibus, quas spernat (41. 42), eodem spiritu potest loqui? Nam quanquam diuersa hominum genera intellegenda esse non ignoro, priore loco *(antiquus agrestis)* priscos Latini agri cultores, altero *(patrum, antiquo auo)* ipsius Tibulli proauos, tamen haec diuersitas ita non est expressa uerbis, ut quum contraria deinceps de utrisque, frugalitatem de alteris, de alteris opulentiam, praedicaret poeta, si quidem fecit, totam rem incredibilem et indignum in modum confuderit. Neque uero, si bene connexam sententiarum seriem hoc loco quaerimus, aliud quicquam nobis relinquitur, quam ut interiecti distichi immemores uersus 41. 42 ad uersus 37. 38 referamus, quo facto hoc assequemur: „Peto, inquit, a uobis, dei, ut mundo meo quidem, sed exiguo sacrificio contenti sitis; nam amisso patrimonio et pauper sum et manere in paupertate ita cupio, ut non pristinam fortunam uos precibus reposcam, sed *parua seges mihi satis sit* cet". His rebus animaduersis quid sequi dicamus? Primum ea suspicio mouetur, ut uersus 39. 40 importunae doctrinae hominem aut pro loco fictos aut aliunde depromptos huc inseruisse arbitremur. His autem reiectis quae restant duae paris longitudinis parisque exordii partes carminis, eas dehortandum est, ne quis duas elegias esse putet per errorem nunc coniunctas. Toto enim carmine ita dimidiato quum posterior pars integrum corpus efficiat et poematium omnibus suis partibus absolutum, quid quaeso prior? Est mutilus truncus, turpe fragmentum, nisi forte deorum inuocationes, quibus haec pars paene tota continetur, iusti carminis speciem cuiquam praebent, aut eum Tibullum esse censemus, qui in rusticatione sua describenda Deliam et amorem silentio praeterire possit. Verisimile tamen est non casu, sed consulto poetam ita rem instituisse, ut symmetria quaedam partium esset, et repetitis cum aliqua uarietate primis sententiis altera pars antistrophes quasi rationem praeferret, non quod ante scribendum tali componendi lege ipse se obstriuxerit, sed inter scribendum oblata occasione hoc artificio usus esse uidetur. Certe similis compositio in aliis eius elegiis occurrit, quae in ea posita est, ut carmen diuisum sit in singula membra complures uersus complectentia, quae non solum per argumenti proprietatem facile internoscantur, sed etiam interdum et argumento et uersuum numero inter se respondeant. Cfr. quae Frid. Ritschelius de quartae primi libri elegiae compositione disputauit act. societ. litter. Saxon. tom. XVIII a. 1866 edit. pag. 72 sqq.

Harum primae elegiae partium, quas modo discreuimus, priorem dissoluto distichorum ordine traditam ideoque transpositione emendandam esse doctissimorum uirorum auctoritate permotus pro certo habeo, quanquam de ipsa uia emendandi nemini eorum assentior. Sed priusquam ad hanc difficiliorem ueniamus rem, pauca de tertio disticho monebo, quod suo loco nemo mouit.

Me mea paupertas uita (ae) traducat inerti

ita conuertunt Dresselius (programma gymn. Guelpherbyt. a. 1842 ed.):

Mir soll Ruhe des Lebens verleihn mein ärmlicher Hausstand;

Gruppius (die römische Elegie I, p. 181):

Doch mir lieber bereite die Armut müssiges Leben;

Binderus (Albius Tibullus. Deutsch in der Versweise der Urschrift. Stuttgart 1862):

Mich soll karger Besitz mühlos durchs Leben geleiten.

Dissenius sic interpretatur: *Cum alios paupertas ad militiam trahat, ut diuitias sibi parent, me mea non cupida paupertas et paruo contenta mediocritas ad otium potius securum traducat.* Similiter Frid. Haasius (ind. lect. Vniuers. Vratislau. a. 1855 ed. p. 14). Perperam, ni fallor, omnes. An inertia nihil differt a tranquillitate et otio? Inertia semper aliquid reprehensionis habet, ut ei obiciatur, qui alicui negotio exsequendo impar esse uidetur (unfähig); cfr. infra u. 58 *segnis inersque uocer;* 71 *iners aetas.* Itaque *iners uita* hoc loco eius est, qui quod militiam detrectat et diuitias bello congestas despicit, nullum inter ciues obtinet numerum (ein thaten- und ruhmloses Leben). Conjunctiuus autem *(traducat)* non optantis, sed concedentis est, totusque locus ita explanari debet: „Patiar me propter militiae detrectationem et paupertatem meam sine rerum gestarum laude, sine honore et dignitate uitam degere, dummodo cet." Degere, inquam, uitam. Etenim *uita inerti*, qui ablatiuus quem uocant uiae est, non *uitae inerti traducere* scribendum mihi persuaserunt Luc. Müllerus (praefat. edit. Tib. p. VIII, cfr. p. XV) et Frid. Haasius (l. l. p. 13).

Post uers. 6 Frid. Haasius, acerrimi ingenii uir, cuius uestigia hic premenda cuicumque genuinam carminis elegantiam restituere cordi est, (l. l. p. 10 sqq.) uersus 25—34 inseruit. Ac primum quidem totam eius ordinationem distichorum et dispositionem ante oculos ponam.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro
   Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus uicino terreat hoste,
   Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas uita traducat inerti,
   Dum meus assiduo luceat igne focus.
(25) Iam modo, iam possum contentus uiuere paruo
   Nec semper longae deditus esse uiae,
Sed Canis aestiuos ortus uitare sub umbra
   Arboris ad riuos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
(30) Aut stimulo tardos increpuisse boues;
Non agnamue sinu pigeat fetumue capellae
   Deserta oblita matre referre domum.
At uos exiguo pecori furesque lupique
(34) Parcite: de magno est praeda petenda grege.
(7) Ipse seram teneras maturo tempore uites
   Rusticus et facili grandia poma manu:
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
(10) Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
(11) Nam ueneror, seu stipes habet desertus in agris
(12) Seu uetus in triuio florea serta lapis.

(15) Flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona
(16) Spicea, quae templi pendeat ante fores.
(17) Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
(18) Terreat ut saeua falce Priapus aues,
(13) Et quodcumque mihi pomum nouus educat annus,
(14) Libatum agricolam ponitur ante deum.
(19) Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
(20) Custodes, fertis munera uestra, Lares;
Tunc uitula innumeros lustrabat caesa iuuencos:
Nunc agna exigui est hostia parua soli.
Agna cadet uobis, quam circum rustica pubes
(24) Clamet „io messes et bona uina date.“
(35) Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, diui, nec uos e paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.

Duobus igitur locis mutatum uersuum ordinem uidemus, primum, ut a minore ordiamur re, uersus 13. 14 *(et quodcumque — ante deum)* post uss. 17. 18 *(pomosisque ruber — Priapus aues)* retractos.

Ferri enim non posse dicit Haasius, quum ceteris deis agrestibus enumeratis poeta addat, quae cuique munera offerat, uni Priapo nullum munus promitti. *Atque ut hoc loco*, inquit, *ferendus non est deus sine munere appellatus, ita alio loco non feremus munus sine deo commemoratum. Etenim quem tandem deum significari dicemus u. 14, cui poma promittuntur? Appellatur deus agricola. Neque uero dubitandum est, quin certus aliquis deus intelligendus sit, id quod satis apparet ex ipso sacrificio, quo is ab aliis discernitur. Quod ut possit fieri, simul ne Priapus munere suo fraudetur uers. 13. 14 sunt ponendi post u. 17. 18. Ita enim fit, ut agricola deus nullus alius sit nisi qui modo nominatus est. Priapus, cui poma uulgo afferri solita notissimum est.* Haec Haasius. Contra quem prodiit Otto Ribbeckius et hunc fere in modum disputauit (ind. schol. in acad. Kiliensi aest. ann. 1867 habend.). *Duobus his distichis coniunctis (17. 18. 13. 14) praeter molestam et inutilem eiusdem uerbi ponere repetitionem magis etiam sibi displicere* dixit *modorum ponatur et ponitur differentiam. Ponendo Priapi signo promitti poma debuisse, ne potuisse quidem deferri. Deinde agricolae dei appellatio quum rediret 5, 27, consentaneum illud quidem esse, eundem utroque loco a poeta deum intelligi. Atqui illic Tibullum loqui de dulcissimo cum Delia consortio, tum pergere:*

Illa deo sciet agricolae pro uitibus uuam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curae:
At iuvet in tota me nihil esse domo.

An putare quemquam, quae coniugis loco haberetur, Tibulli amicam sollemnia munera oblaturam fuisse mentulato deo, quem uisere non solerent nisi furtim impudicissimae quaeque puellae anusque salaces? Denique omnino agricolam deum proprie appellandum non fuisse hortorum potissimum custodem, a quo colendi agros partes alienae essent. Nam quod apud Ouidium Trist. I, 10, 26 legeretur: Et te ruricola, Lampsace, tuta deo, addito patriae nomine ab omni errore cautum esse. Honoris autem Priapo ad impetrandum eius praesidium satis fuisse statuam ipsam in hortis erigendam, cui coronas, uuas, poma non defutura fuisse facile conicereturʺ. De Ribbeckii quidem sententia hactenus. Qua non labefactari

solum, sed peruerti etiam Haasii coniecturam nemo infitias ibit. Unum restat, de quo dubitemus, quis sit deus ille agricola. Siluanus, inquit Ribb. Nam antiquissimum hunc ac popularem aruorum pecorisque deum a Latino agricola nullo neglegi fas erat. At neglecti sunt Faunus et Liber pater, qui de antiquitate populique gratia cum Siluano certantes non uereor ne uicti recedant. Nullus e diis agrestibus Romanis eum obtinebat principatum, ut et debuerit appellari a poeta aliquot eorum inuocante et potuerit satis designari solo agricolae dei nomine. Hoc pro certo tenebo, donec refuter exemplo. Nec est, cur certum hoc loco deum quaeramus. Immo deorum agri culturae praesidum totum genus generali nomine et hic et 5, 27 comprehenditur, ut iam Vulpius, Heynius, Wunderlichius senserunt, atque ipse Haasius fieri posse hoc nomine concessit collatis etiam, ubi dei uel caelites agricolae commemorantur, locis: Tib. II, 1, 36; Ouid. Met. VIII, 276; de nuce 9, quibus ipse addo propter eandem singularis numeri usum Ouid. Met. VIII, 786 *montani numinis unam compellat.* Nam quod unum obstat, quominus in hac simplicissima ratione acquiescamus, *pomi* libamentum potissimum electum esse, id obstaculum L. Müllerus quamuis inuitus — nam Haasium secutus est — nobis remouit leuissima et felicissima mutatione pro singulari et non omnibus deis accomodato sacrificio substituens, quod omnia sacrificia rustica complectitur, *donum.* Hoc recepto quam egregie omnia inter se cohaereant et procedant, si placet, nunc uideamus. Sperat poeta largas messes (9. 10 *nec spes destituat* —); posita est spes eius in religione et pia deorum reuerentia; quam pietatem primum generatim quasi testatur duobus distichis, quorum altero uenerari se deos profitetur, quamuis rudi simulacro, quamuis profano loco repraesentatos (11. 12 *Nam ueneror, seu* —), altero sacrificare iis suo cuique tempore, suo dono solere se confirmat (*13. 14. Et quodcumque mihi* —). Tum ad singulos se conuertit nominatimque enumeratis sollemnia munera pollicetur (*Flaua Ceres, tibi sit* —).

Dixi de una Haasii traiectione, cur falsa esse mihi uideretur suoque loco relinquendos ducerem uersus 13. 14: nunc quid de altera iudicem aperiam. Ac sagacissime quidem et uerissime illud inuenit uir acerrimus nec quae uersum 6 uulgo subsequerentur cum superioribus sententiis ullo modo concinere, et post u. 34 interposita esse nonnulla, quibus res non separandas ineptissime segregarentur; contra reducta ab hoc loco aliqua parte carminis in illum et illic expleri hiantem et disturbatam coniungi hic orationem. Verum enimuero quasi medico ei accidisse uidetur, ut diagnosi recte facta in ipsa sectione scalpello aberraret. Etenim quum exsecuerit u. 25—34 eosque inseruerit inter u. 6 et 7, ut minime dubito, quin uerum sententiarum ordinem post uersum 6 restituerit, ita uereor ne satis bene non sint compositi inter se nec u. 34 et 7, nec u. 24 et 35. Quae u. 19—24 legimus:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera uestra, Lares.
Tunc uitula innumeros lustrabat caesa iuuencos:
Nunc agna exigui est hostia parua soli.
Agna cadet uobis, quam circum rustica pubes
Clamet „io messes et bona uina date“,

haec ad Ambarualia referenda esse inter uiros doctos conuenit, confirmarique solet res collato libr. II. primae eleg. initio, maxime u. 15 *cernite, fulgentes ut eat sacer agnus ad aras* et u. 17 *di patrii, purgamus agros.* Atque siue uerum hoc est, id quod ego puto, siue falsum, illud quidem est uerissimum, quos statim sequi iussit Haasius uersus 35, 36

Hic ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem,

hic aduerbium explicans per „*in eodem* (*Ambarualiorum*) *sacro*“, eos non posse referri ad Ambarualia. Aut enim nihil constat aut haec ad Parilia pertinere certissimum est. An ignoramus Palem, pastorum custodem, placidam deam, non cruentis dapibus, sed quotannis ante d. XI. Kal. Maias lacte tepido placatam, simulque et greges et pastores igni lustratos esse? (Cfr. Tib. II, 5, 87 sqq. Ouid. Fast. IV. 723 sqq. Prelleri Myth. Rom. p. 366 sqq.) Ergo haec disticha (19—24. 35—36) omnibus machinis potius dissecanda quam conflanda. Ecce autem alia contra Haasium dubitatio. Versibus 29—32

Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
Aut stimulo tardos increpuisse boues,
Non agnamue sinu pigeat fetumue capellae
Desertum oblita matre referre domum

id haud dubie agit poeta, ut quamuis otii cupidum tamen rustica opera non repudiaturum se esse declaret. Et primum hoc illustrat agri culturae exemplo (29. 30), deinde ad rem pecuariam uenit (31. 32): quid tum exspectamus? Imaginem sane ex hortorum cultu petitam. Et profecto ea praebetur Haasii transpositione, tamen interiecta alia re:

At uos exiguo pecori, furesque lupique,
Parcite: de magno praeda petenda grege.
Ipse seram teneras maturo tempore uites
Rusticus et facili grandia poma manus.

Quid? furum illa et luporum deprecatio, quamuis apte conueniat superiori sententiae, si progressi sumus ad „*Ipse seram*“ — num quid aliud quam inopportuna parenthesis, molesta digressio, quam nisi mente praetermittimus, non habemus, quo insequentem sententiam recte annectamus? Eice distichon: omnia hic praeclare inter se excipient. Repone pristino loco (ante u. 35): nimirum nescies, quo *hic* aduerbium (uersus 35 init.) referas. Sed una littera mutata liquebit; scribe *hoc* pro *hic*, tum omnia expedita. Laribus promisit poeta agnam Ambarualibus mactandam, ut messem et uindemiam secundarent; tum ad Palem se conuertit, sed pecorum paucitate modo commemorata eo perducitur, ut uariata festine oratione non dicat: „Tibi quoque, Pales, munera feram; ergo tutare greges meos,“ sed inuerso ordine: „absit damnum a pecore meo, praesertim exiguo; (quod fore spero, nam) hoc (pecus) pastoremque meum lustrare quotannis soleo Parilibus cet.“ Qua cum sententiarum consecutione uide quam mirifice congruant, quae de eadem Pale lupos auerruncante dicit II, 5, 87 sq.:

At madidus Baccho sua festa Parilia pastor
Concinet: a stabulis tunc procul este lupi.

His expositis priusquam, quod reliquum est, totum locum de nostra sententia in ordinem redactum describamus, ad leuiusculam rem nondum diiudicatam reuocare liceat. Vers. 25 (ueter. ordin.) corrupto haud dubie initio in libris traditus est, *iam modo non possum* plerisque, excerptis Frising. *iam modo iam possim* exhibentibus. Nec mirum in tanta confusione uersuum. Varia coniectata sunt, quae enumerare non attinet praeter recentissimam L. Mülleri coniecturam: „*iam mihi, iam possim.*“ Quae quanquam optimae habenda est notae propter mutationis simplicitatem non minus quam sententiae conuenientiam, tamen nescio an ueri sit similius scriptum fuisse a Tibullo: *dummodo iam possim.* Recordare quaeso ea, quae de *inerti uita* (u. 5) supra disputauimus: cognosces aptissima ratione inter se cohaerere haec: *me paupertas traducat — dum luceat focus — dummodo iam possim contentus uiuere paruo.* Praeterea ipsum hoc

genus ἐπαναλήψεως *(dum — dummodo)* in delectatione fuisse videtur Tibullo, tam saepe eo usus est.

Sed satis superque de una re, quamuis multiplici: uideamus, quid effectum sit.

Diuitias alius fuluo sibi congerat auro
Et teneat culti iugera multa soli,
Quem labor assiduus uicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent:
Me mea paupertas uita traducat inerti,
6 Dum meus assiduo luceat igne focus,
25 Dummodo iam possim contentus uiuere paruo
Nec semper longae deditus esse uiae,
Sed Canis aestiuos ortus uitare sub umbra
Arboris ad riuos praetereuntis aquae.
Nec tamen interdum pudeat tenuisse bidentes
Aut stimulo tardos increpuisse boues;
Non agnamue sinu pigeat fetumue capellae
32 Desertum oblita matre referre domum;
7 Ipse seram teneras maturo tempore uites
Rusticus et facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
Praebeat et pleno pinguia musta lacu.
Nam ueneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu uetus in triuio florea serta lapis.
Et quodcumque mihi donum nouus educat annus,
Libatum agricolam ponitur ante deum.
Flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quae templi pendeat ante fores;
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat ut saeua falce Priapus aues.
Vos quoque, felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera uestra, Lares.
Tunc uitula innumeros lustrabat caesa iuuencos,
Nunc agna exigui est hostia parua soli.
Agna cadet uobis, quam circum rustica pubes
Clamet: io messes et bona uina date.
At uos exiguo pecori furesque lupique
27 Parcite: de magno praeda petenda grege.
28 Hoc ego pastoremque meum lustrare quotannis
Et placidam soleo spargere lacte Palem.
Adsitis, diui, nec uos de paupere mensa
Dona nec e puris spernite fictilibus.

49. *Hoc mihi contingat: sit diues iure, furorem*
Qui maris et tristes ferre potest pluuias.

Qui in hoc loco offenderunt et *rure* pro *iure* uel *ferre* uel *inire* scribendum coniecerunt uel ita interpungendum: *Hoc mihi contingat. Sit: diues iure* — (nominatos uide apud L. Müll. p. XVI) ii haec fere reputasse uidentur. Aut *iure diues est* aut *sit diues* omisso *iure* recte dicatur. In ipso enim coniunctiuo, qui concedendi uim habèt, id inest, ut ius diuitiarum concedatur. Potentiali autem, quem uocant, sensu quominus coniunctiuum intellegamus (δικαίως ἂν εἴη πλούσιος), quum aliis rebus tum ipso, quo positus est, primo loco prohibemur. Hunc scrupulum eximi posse opinor comparato simili alterius elegiae loco, u. 27:

Quisquis amore tenetur, eat tutusque sacerque
Qualibet: insidias non timuisse decet.

Utrobique enim duae sententiae in unum coaluerunt, quarum altera alterius causam continet. *Qualibet eat; nam tutus et sacer est* cum audacia quadam in breuius contraxit poeta, ut legimus (der gehe, wo es ihm beliebt, als gesichert und gefeit). Item hoc loco *sit diues; nam iure est* commutatum in *sit diues iure.* Non multum differt Propert. IV, 7, 36 (ed. Müll.) *nunc sis iure superba licet.*

55. *Me retinent uictum formosae uincla puellae,*
Et sedeo duras ianitor ante fores.

Quod uulgo legitur *uinctum*, non neruosa cumulatio, ut quibusdam uidetur, sed languida iteratio est et Tibullo indigna. Italorum autem correctio (*uictum*), quam optimo iure recepit Luc. Müll., eo insuper commendatur, quod horum uersuum sententia egregie opponitur duobus superioribus:

Te, Messalla, decet terra bellare marique,
Ut domus hostiles praeferat exuuias.

Hoc igitur uult poeta: „Te, Messalla, decet bellando uincere hostes, me uictum teneri a puella". Et eodem modo contraria comparare ita pergit: „Tu exornas uestibulum (tuum) spoliis captis; ego in uestibulo (puellae) iaceo ut seruus catenatus." Quod genus ἀντιθέσεως, quam nos uocamus, quàntum quum omnibus elegiarum scriptoribus Romanis tum Tibullo placuerit, nemini docto non est notum.

57. *Non ego laudari curo, mea Delia: tecum*
Dummodo sim, quaeso segnis inersque uocer.

Annotauit Luc. Müll. (praef. p. XXX): *bis, non saepius, grauius interpunctum post pedem quintum hexametri, I, 1, 57 et 4, 3*

Quae tua formosos cepit sollertia: certe
Non tibi barba nitet, non tibi culta comast.

Hac re perducatur forsitan quispiam, ut priore loco colon rectius poni censeat ante uocatiuum: *non ego laudari curo: mea Delia, tecum.* Ego uero non puto. Nam ut mittam pedestris sermonis usum remouendae ab ineunte oratione compellationis, a quo usu discedere haud dubie licebat poetae, certe et illud *tecum* maiore ui pronuntiatur, si antea incisa est

oratio, et quod prius dictum est: *non ego laudari curo*, si adiuncto uocatiuo ipsi Deliae statim applicatur, quo consilio dictum sit melius perspicimus. Neque uero quicquam refert, rarissimam esse apud Tibullum hanc hexametri caesuram; qua re, quominus post uocatiuum interpungeremus, tum demum prohiberemur, si unicum hoc esset eius caesurae exemplum.

61. *Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto*
Tristibus et lacrimis oscula mixta dabis.

Dissenius explicat: *flebis et me, ut ego te maximo amore amplector;* Dresselius (l. l. p. 16): *et flebis me positum et oscula dabis.* Scilicet neutri *et* particula tanti esse uidebatur, ut pro eo, quem obtinet, loco respiceretur. Quam iniuriam ne imiteris, sic expone: Etiam arsuro lecto positum me flebis, h. e. etiam tum, quum in lecto funebri positus ero. Dices: quid? qui nondum de fletibus amicae locutus est, quo iure etiam post mortem amicam se defleturam esse dicit? Hoc, opinor, iure. Optauit (u. 59. 60), ut morienti sibi adesset Delia; (itaque non tam suam in amore constantiam promisit, ut Dissenio uidetur, quam illius fidelitatem expetiuit). Tum quasi gradu longius progreditur. Optat, ut etiam mortuo, id quod raro illud genus mulierecularum in quaestum amantium fecisse putandae sunt, eundem sibi praestet animum fidum. Hoc autem licentia satis leui ita uerbis expressit, ut pro ipsa fide fidei et pietatis in funere sollemnia signa substitueret, fletus et lacrimas. Vt paucis comprehendam: „Non solum morienti mihi, inquit, amoris documentum te spero esse daturam assidentem, sed etiam mortuo lacrimantem“.

71. *Jam subrepet iners aetas, nec amare decebit,*
Dicere nec cano blanditias capiti.

Capiti datiuus an *capite* ablatiuus praeferendus sit ambigitur. Nam quod tertium propositum est, ut *capiti* pro antiquiore ablatiui forma haberetur, id nescio an liceat explodere, quandoquidem non est poetae malitia bilingui in errorem perducere lectores. Quod fecisset, si quo loco datiuus bene conueniebat sententiae, eo obsoleta earundem litterarum forma ablatiui contra morem suum usus esset. Per librorum quidem manu scriptorum auctoritatem optio nobis data, nec metricis Tibulli rationibus alterumutrum defenditur, quum pentametrum trisyllabo uocabulo in breuem uocalem exeunte claudere quanquam non saepius quam semel, tamen semel idque eodem uocabulo *capite* ausus sit: II, 1 8 *plena coronato stare boues capite.* Age ergo alia praesidia circumspiciamus. Sine dubio exquisitior est datiuus et quo sciolus aliquis facile ad commutandum potuerit allici, quanquam iustae offensionis nihil habet et *per se*, ut ait Dissenius, *recte dicitur cano capiti blanditias dicere sic, ut Propert. III., 10, 18 dixit: et canae totiens oscula ferre comae. Tamen*, inquit idem, *nunc de se loquitur Tibullus et loqui debet, puellae uero senectutem futuram potius indirecte significare satis habet.* Hoc unde Tibullianae ille subtilitatis nimium studiosus inuestigator collegerit, equidem non uideo. Immo uero de se simulque de amica Tibullus loquitur iam inde a uersu 69 *interea iungamus amores. Nobis* intellege *subrepet, nos decebit, inter nos blanditias dicere.* Tum demum (u. 73. 74) paulatim transit ad se solum. — At rustici est et inurbani hominis puellae futuram canitiem in mentem uocare. — At uereor, ne nostrae magis aetatis belli homines ita sentiant. Certe Tibullum a tali simplicitate non abhorruisse apparet ex I, 6, 86 *nos, Delia, amoris exemplum cana simus uterque coma.* Ac ne illud quidem neglegendum, quod quantum amatoriis ludis immorari dedeceat senescentes, luculentius ante oculos ponitur repraesentato eo, qui senili corpori blanditur, quam

qui blanditur senili ipse corpore; ille enim non modo intempestivae salacitatis, sed etiam mendacii crimen in se admittit. Quae quum ita sint, datiuum *capiti* recipiendum censeo. In eandem fere sententiam disputauit Drenkhahnius (progr. paedagogii Putbusini a. 1862 ed. p. 2), quem frustra impugnasse mihi uidetur Gräfius (progr. gymn. Memeliani a. 1865 ed. p. 6).

75. *Hic ego dux milesque bonus: uos signa tubaeque*
Ite procul, cupidis uulnera ferte uiris,
Ferte et opes: —

Animaduerte artificiosam loci structuram. Cuius rei *cupidos* uiros citaret, id proximis uerbis declarandum erat poetae, ut I, 8, 56 *ipse dedit cupidis fallere posse deus;* 9, 58 *et pateat cupidis semper aperta domus*, ad quod genus cupiditatis spectetur, e totius loci natura facile elucet. Sed *παρὰ προσδοκίαν*, ut aiunt Graeci, cum ironia quadam primum *uulnera* commemorat, ut quae neutiquam cupientes tamen certo reportent bellicosi illi homines. Tum demum addit: ferte etiam, equidem non inuideo, id, quod re uera cupitis, diuitiarum fructum.

II.

Usque ad uersum nonum quo loco poeta uersari se fingat, extra omnem positum est dubitationem. Domum enim suam, quum ante amicae fores obseratas et custoditas aliquantum temporis exspectasset, dum intromitteretur, desperata illius noctis Venere discessit, ut *tentaret curas depellere uino* (cfr. 5, 37). Inter pocula autem durae illius ianuae recordatus erumpente ira quasi praesentem eam exsecratur:

Ianua difficilis dominae, te uerberet imber,
Te Iouis imperio fulmina missa petant.

Tum eadem apostrophe ita pergit:

Ianua, iam pateas uni mihi, uicta querelis,
Neu furtim uerso cardine aperta sones.

Mutato igitur repente affectu a detestatione animum conuertit ad precationem. Quidni, ut uehementer commoti animi amator? At locum simul mirifice mutauit. Nam has preces fundere non potest nisi stans ante ipsam ianuam, ut manifesto apparet ex uocula *iam* in hanc sine dubio sententiam addita: „*iam inde ab hoc temporis puncto, nunc tandem patesce*“. Ergone rediit ad ianuam Deliae ex potatione domestica? Minime uero. Eam loci mutationem ne uerbo quidem indicatam sanae mentis poetae nemo potest imputare. An carmen totum est *παρακλαυσίθυρον*, ut primi quoque octo uersus sub diuo cantati sint? Ne hoc quidem concesserim, quanquam Dissenius amplexus est. Nam licet iuuenes ante amicarum domos et bene poti saepius grassati sint (cfr. Ouid. am. I, 6, 59; Prop. I, 16, 5) et exclusi interdum pernoctauerint (cfr. Aristoph. Eccl. 903; Prop. I, 16, 23—46), illud nescio an nemini persuadeatur, potantem ibi quemquam uersatum esse et acriora pocula a ministro poposcisse (*1. adde merum*), ut repulsae dolorem consopiret, praesertim in furtiuo nuptae amore omni opera celando (10 *neu furtim uerso cardine aperta sones;* 15 *tu quoque ne timide custodes, Delia, falle*). Quod autem

apud Plautum (Curcul. I, 84) Phaedromo cum uino ad puellae aedes eo consilio aggredienti, ut ianitricem, anum multibibam, corrumpat, Palinurus seruus dicit: *ego nobis ferri censui (uinum)*, ex hoc ioco uernili occasione data facto Dissenius nullo iure conclusit fuisse morem quendam bibendi ante fores meretricum. Fac tamen finxisse hoc poetam: num potuit postulare, ne dormiens in platea excitaretur (u. 4)? num potuit eius loci miseraeque suae ad ostium condicionis ita obliuisci, ut ne exeunte quidem carmine *παρακλαυσιθύρῳ* ad id ipsum rem reuocaret, ut in eadem querela reuocata est ab Horatio carm. III, 10 et ab Ouidio am. I, 6? Valeat et haec interpretatio, quam qui tueantur, aut nequisse poetam aut noluisse concedant id uitare uitium, quod turpissimum est omnibus, qui scribunt, ut „pugnantia secum frontibus aduersis componeret." Mihi quidem uulnus hoc loco latere uidetur non fomentis, sed ferro curandum. Perpendeamus quae modo exposita sunt; addamus, quod *uicta querelis* ut pateat, ianua oratur, tametsi nihil querelarum antea auditum est, sed mera maledicta; addamus porro, quod *ὑποθετικῶς*, ut aiunt grammatici, de illis maledictis, quae modo iactauit, poeta loquitur: *Et mala siqua tibi dixit dementia nostra, ignoscas* (11), quasi uero surdastram aut tam infirmae memoriae speret esse ianuam, ut iam non teneat, quanta maledicta re et ueritate sibi sint ingesta. His rebus comprehensis, quamuis speciosum in modum imprecationem deprecatio sequatur, tamen facere non possumus, quin fallacem hanc speciem habeamus, dirimamus hos locos, duos minimum uersus inter u. 8 et 9 casu infelici excidisse censeamus, quibus poeta hoc fere professus erat: frustratum et repulsum illa nocte tamen se non posse deterreri, quominus rediret denuo aditum tentaturus. Quae quum dixisset, ita, credo, perrexerat: *ianua, tum (quum rediero) pateas uni mihi uicta querelis.* Perdito autem disticho *iam* pro *tum* scriptum est, ut aliquem in modum uersus (8 et 9) conglutinarentur. Ac perire quomodo potuerit distichon, si quidem talia quaerere operae pretium habetur, ita in promptu est conicere. Ter compellata erat ianua, ter ianuae nomen positum hexametri initio. Quo factum est, ut aberrantibus oculis a prima compellatione ianuae ad tertiam transiliret librarius.

Quoniam igitur nostram de toto loco sententiam exposuimus, cui in reliquo carmine nihil est, quod non respondeat — nam cetera omnia bene conueniunt in eum, qui domi suae sedens et parum processisse amatorium impetum conqueritur et repetendi impetus consilium capit — nunc paucis absoluamus quaestionem de interpretando *imperio Iouis* (u. 8) a uiris doctis institutam. Id non pro iussu Iouis dictum esse contendit Dissenius; nam ipsum fulmina mittere debere deum, nec de mandato cogitari posse aliis deis dando; potius intellegenda *de coelo*, *de aethere* missa fulmina. Nihilo tamen setius *imperio Iouis* recte explicaueris *imperante Ioue*, modo imperium intellegas non alii deo, sed ipsis fulminibus datum, quae quasi uiui sint Iouis ministri, ab eo non torqueantur et coniciantur, sed ianuam petere iubeantur. Noli igitur conuertere nec „auf Juppiters Gebot geschleudert," nec „aus Juppiters Reich geschleudert, sed „durch Juppiters Gebot entsandt". Haec ratio quum ad poetarum dicendi genus tum ad ipsa uerba magis accommodata esse mihi uidetur.

13. *Te meminisse decet, quae plurima uoce peregi*
Supplice, quum posti florea serta darem.

Dissenius: *Notus est usus*, inquit, *ubi coniunctiuus de repetita actione usurpatur, quemadmodum Graece optatiuus. Hunc Wunderlichius hic adhibet, darem pro quoties darem explicans sequente Bachio, sed non assentior. Non temere adhibenda haec ratio est ac suauior et aptior nunc unius certi temporis factique recordatio.* Addidit plura, quibus sententiam suam confirmaret, sed nequiquam in ea re desudauit. Neque enim repetitae rei („so oft als") nec certi unius facti („das eine Mal als") significatio hoc loco subest, sed primariae actioni *plurima peregi* secundaria actio eiusdem

temporis adicitur per *quum — darem*, ut interpretandum sit: „indem ich zugleich, während ich zugleich Kränze spendete". Quod saepiusne fecerit an semel, ipsis uerbis non declarat poeta. Quanquam nec licuisse per Deliae coniugem talem adulterii ostentationem repeti et, si licuisset, adulterum uix praetermissurum fuisse probabile est, quin muneris identidem oblati meritum ianuae iactaret similiter ac Propert. fecit I, 16, 43 *ante tuos quotiens uerti me, perfida, postes, debitaque occultis uota tuli manibus.*

17. *Illa fauet. seu quis iuuenis noua limina tentat,*
Seu reserat fixo dente puella fores.

Seu qui iuuenis scripsit Luc. Müllerus, lege euphoniae, quam uix unquam laesisset Tibullus. Vide tamen I, 3, 4 *abstineas auidas;* 4, 26 *adfirmes crines;* 27 *at si tardueris errabis;* 5, 71 *quidam iam nunc;* 6, 39 *tum procul absitis quisquis colis;* 9, 63 *illa nulla queat melius;* II, 3, 15 *ipse deus solitus;* 33 *at tu quisquis is es;* 53 *illa gerat uestes tenues;* 4, 22 *ne iaceam clausam;* 60 *mille alias herbas.* Vide praeterea Kemperi quaest. Tibullian. Monaster. ed. 1857 p. 17.

25. *En ego quum tenebris tota uagor anxius urbe*
— — — — — —

Recepit hunc hexametrum L. Müllerus; pro pentametro lacunae signum posuit; sed non numerato disticho uigesimi quinti numero proximum uersum *(nec sinit occurat —)* signauit. Hoc quo consilio fecerit, non satis perspicio. Etenim aut solitarius ille hexameter, si non numerabatur, simul pro subditiuo notandus aut numerandus erat et ipse et pentametri locus uacuus, si Tibullianus ille habebatur. Atqui non modo ipse per se nihil habet cur tollatur, sed etiam ea sententia, cuius initium praebet, hoc loco necessaria est, quod *nec sinit occurrat* nullo modo potest coniungi cum uersu superiori *nec docet hoc omnes*, ut Regelius (progr. gymn. reg. Postamiens. a. 1839 ed. p. 4.), Dissenius, alii demonstrauerunt. Quam ob causam, quem uersum Müll. uigesimum quintum numerauit, ego numerabo uigesimum septimum.

35. *Parcite luminibus seu uir seu femina fiat*
Obuia: celari uult sua furta Venus.

Quae ab his uersibus usque ad u. 43 (*nec tamen huic credet —)* praecepit et monuit poeta, non ad praetereuntes in uia, sed ad eos referenda sunt, qui easdem aedes incolunt ac Delia, ad seruitium maxime. *Seu femina*, inquit, *fiat obuia.* Non potuit metuere, ne nocturno tempore femina uagaretur in publico. Nomen quaerere uetat obuios aut facem sibi admouere. Hoc unice famulorum erat, si quis eorum forte in domo occurrerat. Denique, si quis aspexerit, ut Deliae coniugi occulat, hortatur, aut si ab eo inquisitum sit, iureiurando interposito rem neget. Ius inquirendi coniugi illi non erat nisi in familiam suam, nec detegendae fraudis officio quisquam obligatus erat praeter homines domesticos. Habemus igitur, ut iam totius loci elegantissimam compositionem consideremus, duo genera difficultatum et periculorum descripta, quae si quis amore teneatur, fauente Venere facile perferat. Primum enim (u. 25—32) quae in uia perpetienda sunt, sicariorum insidiae, latronum incursus, iniquae tempestates commemorantur; deinde transitus paratur u. 33. 34 ad alterum genus malorum:

Non labor hic laedit, reseret modo Delia postes
Et uocet ad digiti me taciturna sonum.

„Simulac autem irrepsero, defendet me Venus ab iis, quae intus imminent, a uigilum et curiosorum hominum domesticorum explorationibus et indiciis". Quod quidem uerbis sic expressum est: *Parcite luminibus* cet.

63. *Et me lustrauit taedis, et nocte serena*
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam, nec te posse carere uelim.

Haec ita accipias: „Non tantum carmine ad decipiendum coniugem efficaci me instruxit saga, sed etiam amorem meum soluere se posse professa est. Et quidem magicum sacrificium iam instituerat meque, ut arte sua amore liberaret, lustrare coeperat, quum ipse obstiti et quamuis amoris cruciatu leuari cuperem, tamen oraui, ut non demeret amorem, sed mutuum redderet." His autem commonefieri uult poeta Deliam, et quam constanter ipse perseuerarit in amore et quam prope abfuerit, ut illa amatore suo priuaretur. Quocirca caueat, ne leuitate animi aut superbia eum laedat et irritet, qui tam facile possit illud iugum excutere.

67. *Ferreus ille fuit, qui te quum posset habere,*
Maluerit praedas stultus et arma sequi.

Tres rationes ad enodandum hunc locum difficiliorem propositae exstant, ut praetermittam et Ios. Scaligeri non minus audaces quam ingeniose excogitatos lusus, transpositos dico uersus 66—80 in primam, u. 81—100 in quintam huius libri elegiam, et I. H. Vossii de diuidenda hoc loco in duo carmina elegia opinionem utique improbabilem et respuendam. Prima pars est eorum, qui *ferreum illum*, quem poeta u. 67 insectatur, ipsum Deliae coniugem esse statuunt, ut Gruppius et, qui nuperrime huic rei operam nauauit, Seilerus (in libello gratulandi causa ad Bernhardyium a semin. philolog. Halensis sodalibus dato a. 1872). Ipsum coniugem illum esse credamus? Ergo omnia, in quibus spem recuperandae puellae collocat, poeta fusius exponit: absentiam mariti, qua praecipue debet confidere, ne uerbo quidem tanget? Maritus in remotissima imperii regione militat, praedae tantum et bellicae laudi intentus: adulter ad uxorem se insinuare cupiens id ante omnia curabit, ne fraus sua illi aperiatur? Credat Iudaeus Apella, non ego.

Multo sane speciosius, quod Huschkio, Riglero, Dissenio, aliis probatum est, qui de pristino Deliae amatore loqui poetam existimant, tunc deserta amica ad bellum in Orientem profecto. Verum ne iis quidem astipulor. Contra quos non solum monendum mihi uidetur, quod unum Seilerus effert, si Delia praeter Tibullum etiam alium aliquem amatorem admisisset, poetam perfidiam et leuitatem puellae questurum fuisse, quanquam et haec res uim aliquam habet; sed multo grauius illud puto. Alienum est a Tibullo id obscuritatis studium, aliena ea breuitatis affectatio, ut quos homines in uita et amoribus suis attigerit, riuales maxime, in carminibus strictim solum et tanquam praeteriens attingat personamque quasi in scenam prodire iubeat, quae uixdum aspecta et non satis cognita statim de pulpitis decedat neque unquam in conspectum redeat. Apage riualem istum prorsus ignotum, nebulosum hominem, quem omnino non fuisse inter mortales suspiceris, sed pro loco fictum esse, ut haberet poeta, quocum se ipsum amoris tenacem conferret. Vna relinquitur explicandi ratio, quam ingressus est Heynius, ut haec non de certo aliquo homine accipiamus, sed ferreum illum pro quocumque

amoris contemptore, expeditionem in Ciliciam factam pro quacumque expeditione bellica memoratam esse statuamus. Hoc modo omnia expedita currunt. Nam post *nec te posse carere uelim* hoc ipsum exspectatur: quicumque autem pro te mauult praedam et gloriam consectari, is ferreus est. Quo optime conuenit *maluerit* coniunctiuus; eo enim *ferreum illum* generatim dictum esse indicatur pro: *ferreus est eiusmodi homo.* Neque uero in ipso pronomine est cur haereamus, quum pro *is*, utpote quam uoculam minime ament, saepissime poetae adhibeant *ille.* Sed quantacumque sunt haec argumenta, tamen ad irritum rediguntur uno uerbo *fuit*, quo perfecti indicatiuo de certo quodam homine certoque profectionis tempore agi solis luce est clarius. Quae quum ita sint, quum omnibus loci rationibus eo deducamur, non ut de certo homine, sed ut generatim loqui poetam statuamus, obstet huic interpretationi unum uocabulum: utrum quaeso magis est consentaneum, totamne rem uitiose et incondite institutam esse ab auctore ipso, an illud uocubulum uitiose et inconsiderate exceptum esse a librario? Qui quanam uoce Tibullo probata suum errorem commutarit, ego non is sum, qui pro certo affirmare audeam; tamen proloquar, quod scriptum fuisse mihi probabile est:

Ferreus ille, s u a m qui te quum posset habere,
Maluerit praedas stultus et arma sequi.

Nec uereor, ne audax esse uidear; nam syllabae *su* et *fu* quantulum inter se distent apparet, et de syllaba *am* per compendium scripta facile poterat errari. Ac de sententia dubitari non potest, quin ita ualidius etiam inter se opponantur haec duo: puellam propriam habere et praedam dubiam sectari. In imperfecto autem tempore (*posset*) ne quis offendat, id ad perfectum *(maluerit)* referendum est ab eoque regitur.

69. *Ille licet Cilicum uictas agat ante cateruas*
Ponat et in capto Martia castra solo
Totus et argento contextus, totus et auro
Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boues mea si tecum modo Delia possim
Iungere et in solito pascere monte pecus,
Et te dum liceat teneris retinere lacertis:
Mollis et inculta sit mihi somnus humo.

Pro eo, quod proprie dicendum erat: „ille et uictoriae laudem et maximas opes assequatur, ego, si modo tecum sim, Delia, lacertisque te retineam, nec boues iungere aut pecus pascere nec in dura humo somnum capere dedignabor", ita oratio structa est, ut totius periodi apodosis *(ipse boues — somnus humo)* ipsa condicionalis periodi in modum composita duplicem exhibeat protasin *(si tecum modo possim —, dum te liceat —)*, in quam non sine licentia quadam, tamen non supra communem poetarum licentiam *partim eorum* praecepta sunt, quae proprie ad apodosin erant reicienda: *boues iungere* (oppos. u. 72 *insidere celeri equo)* et *pecus in solito monte pascere* (opp. u. 70. *in capto solo castra ponere).* Contortius sane et difficilius uerba collocata, sed ut difficultas minuatur, maxima ui pronuntia in recitando illud: *si tecum modo.*

Sed haec scholasticae magis interpretationis sunt: illa uero huius loci, ubi ne minutias quidem uel subtiliores singulorum uerborum disquisitiones naso adunco suspendere liceat. Cur *Cilices* potissimum ferreus ille homo est agens? Num ad triumphum referendus u. 72? Ac Cilices quidem non propterea commemorati sunt, quod Messalla tunc cum illis bellum gessit, sed poetarum more pro toto bellicosarum gentium Romanis infestarum genere exemplum

Cilicum elegit poeta. Ridiculus enim esset, si id iter cuiquam crimini uerteret, quod ipse ingressus erat et peregisset, nisi morbo media in uia esset retentus. De triumpho autem, quem nonnulli intellexerunt u. 72 *(insideat celeri conspiciendus equo)*, non modo Dissenii argumenta comprobo, qui nec *celeri* adiectiuum bene triumpho conuenire nec quem antecedens distichon in Cilicia exhibuerit, eum repente Romam transferri posse dicit, sed de meis quoque addam quod grauissimum mihi uidetur, triumphantes non equo, sed curru uectos urbem intrasse, nisi forte ouationis tantum in tali comparatione poetam mentionem facere maluisse censemus. Quare de imperatore in Oriente illius terrae luxuriam imitante cogita.

77. *Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo*
Prodest? Cum fletu nox uigilanda uenit.
Nam neque tum plumae nec stragula picta soporem
Nec sonitus placidae ducere posset aquae.
Num Veneris magnae uiolaui numina uerbo,
Et mea nunc poenas impia lingua luit?

Medium distichon spurium habeo. Sententiarum enim rationem et consecutionem ut primum uideamus, haec habemus: „Quid purpureo in toro corpus sternere cuiquam prodest sine amore, quoniam prae lacrimis somnum capere nequit? Ego si is essem, ne mollissimo quidem cubiculi apparatu somnus mihi pareretur. Num Venus amoris gaudia mihi denegat, quod maiestatem eius laesi?“ Ad hanc suspicionem media illa sententia non traduci animum apparet. Reducitur potius ad id, quod iam actum est, ad comparandas miseras caelibis diuitias cum felicitate eius, qui duram uitam cum amica degit. Omissis autem mediis uersibus egregia transitio. Imaginatione rusticae cum Delia uitae abreptus erat poeta; reuocatur ad praesentem suam miseriam commemorata insomnia; ipsi enim sibi noctem cum fletu uigilandam uenisse reminiscitur. Hoc autem ut sibi accideret, quo delicto meruerit, iusto iure statim quaerit. Itaque fit, ut uerba, quae sunt: *Cum fletu nox uigilanda uenit*, simul superiorem locum dato responso bene concludant, simul ea, quae proxime insequuntur, quasi instituant et praeparent, si modo interrogandi signum non in fine pentametri, sed post *prodest* ponatur. Quod quidem hac quoque re commendatur. Si *quum*, non *cum* intellegi uoluisset poeta, ne ambiguitate loci audientes luderentur, uerba sic collacasset: *nox fletu quum uigilanda uenit.* Distichon autem illud propter sententiarum rationem suspectum, ut omittam, quam languide proximi uersus (*quid Tyrio — prodest*) sententia repetatur et amplificetur, ut non loquar de modo condicionali, quem grammatici uocant, *posset*, pro quo indicatiuus praesentis temporis desideratur, ut haec missa faciam, illis etiam suspectius fit, quae pentameter continet: *nec sonitus placidae ducere posset aquae.* Cuius aquae? Silanorumne uel fontium ante cubiculi fenestras surgentium? At hoc oblectamentum non minus rustico homini praebetur praetereunte riuo (cfr. 1, 10). An riuorum ipsis cubiculis interfluentium? At singularis haec luxuria a Seneca (epist. 100) cum castigatione commemorata, si quidem Tibulli aetate iam inuenta erat, certe non ita in consuetudinem abierat, ut his uerbis satis potuerit significari.

III.

7. *Non soror, Assyrios cineri quae dedat odores.*

Cur *dedi* odores dictum est? Nec usitatum in hac re uocabulum nec cur magis placuerit poetae quam *reddere*, quod proprie eorum est, qui debita soluunt, facile demonstraueris. Itaque factum, ut uariis emendationibus locus tentaretur aliis *reddat*, aliis *condat*, aliis denique *fundat* conicientibus. (Cfr. Huschkii ad h. l. annotationem.) Verumtamen mutare ego non ausim. Nam fortasse eam uerbi uim percipi uoluit poeta, ut largiter atque prodige ob pietatem soror odores quamuis pretiosos pulueri et umbrae effundere uideretur (preisgeben, hingeben, opfern). Iam uero illud dubitari non potest, quod genus parentalium donorum significetur. Etenim quum ter omnino liquores odoratos et unguenta Syriaca consanguinei spargere soliti sint mortuorum in honorem, primum in rogum exstructum, priusquam corpore imposito succenderetur, ut legimus apud Stat. silu. II, 1, 157 sqq.

Quid ego exsequias et prodiga flammis
Dona loquar? —
Quod Cilicum flores, quod munera graminis Indi,
Quodque Arabes Phariique Palaestinique liquores
Arsuram lauere comam?

deinde cremato corpore et collectis ossibus una cum cinere in urnam, ut apparet ex Ouid. Trist. III, 3, 69 sq.

Atque ea (ossa) cum foliis et amomi puluere misce
Inque suburbano condita pone solo,

denique condita urna in turibula et myrothecia eo ipso consilio interiori in sepulcro disposita, ut qui uisitarent monumentum, suffimenta eo darent, cuius rei et poetarum loci, ut Tib. III, 2, 23 sqq.

Illic (in marmoreo sepulcro) quas mittit diues Panchaia merces
Eoique Arabes pinguis et Assyria,
Et nostri memores lacrimae fundantur eodem:
Sic ego componi uersus in ossa uelim,

Prop. IV, 15, 23 sq.

Afferet haec (Cynthia) unguenta mihi sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens

et ipsa illa uasa unguentaria testimonio sunt; quae multa in ueteribus sepulcris reperta exstant (cfr. Marqu. antiqu. Roman. V, 1, p. 369) — his tribus suffiendi generibus constitutis ad tertium eorum hunc locum pertinere liquet. Quoniam enim matri priora exsequiarum officia attributa sunt, ossilegii dico (u. 5. 6), altera eaque in longius tempus explenda, quibus non minus quam illis obligatos se putabant ueteres, recte procedente re sorori mandantur, ut nonnumquam, maxime feriis denicalibus et diebus parentalibus, ad sepulcrum donis et lacrimis amissi fratris memoriam recolat. Quod si recte exposui, Dissenii, Huschkii, aliorum opiniones cedant oportet.

11. *Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi*
Rettulit e triuiis omina certa puer.

Sortilegos fuisse Romae inter alios hariolos, de sorde urbis et faece homines, qui institorum ritu diuinationem suam credulo popello uenditarent et in Circi maxime regione, ut uulgi frequentia celebrato loco, stationes et conciliabula haberent, ad Horat. serm. I, 6, 113 annotauit Schol. Cruqu.: *Circum fallacem dixit (Horatius) propter Samardacos et sortilegos mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant et imperitos sortibus et nugis fallebant. Altioris dignitatis homines erubescunt sero in his uulgi circulis consistere.* Adde Iuuen. 6, 582 sqq.

Si mediocris erit (mulier) spatium lustrabit utrimque
Metarum et sortes ducet frontemque manumque
Praebebit uati crebrum poppysma roganti.

Ad hos praestigiatores hoc loco ab interpretibus excepto uno, quod sciam, Broukhusio relegamur. Et quod omnium librorum mss. auctoritate traditum est in pentametro: *rettulit e triuiis*, Scaligero duce coniungunt cum *puero* et defendunt collato Ciceronis loco, de diu. I, 58, 132 *non habeo nauci de Circo astrologos*, nisi quod pauci, e quo numero Dissenium nomino, iteratione pronominis *illa — illi* diuersas uias futura explicandi significari contendunt ideoque ita interpretantur: et puerum aliquem sortilegum consuluerat (u. 11) et puerum (alium, unum e seruis suis) miserat in triuia ad omina capienda, isque retulerat certa. Quod contra iteratione et pronominis et *pueri* nihil clarius ostendi contenderim, quam unum et eundem esse puerum, unam uaticinationem. Neque tamen *de Circo puerum* hic agnosco. Fuerit sane uarius et multiplex illorum fatidicorum Circensium grex: pueros in ea multitudine fuisse nec usquam commemoratur nec per se ueritatis speciem habet, quia illi non solum offerebant sortes ducendas, sed ductas etiam interpretabantur. At casu factum esse potest, ut de pueris nihil memoriae proditum sit, et quod interpretandi negotio impares fuisse uidentur, quae sunt superstitiosorum hominum prauitates, fortasse in ipsa inscitia et temeritate pueritiae diuinum quendam instinctum esse credebant. Esto: fuerint pueri sortilegi. Quid? mulier non inculta et, si non honesta, at certe honestatem aliquam simulans, qualis fuisse Delia uidetur, num in grauissima re ad humiles illas praestigias descendisse putari potest, quas omnibus elegantioris et politioris uitae hominibus in summo contemptu fuisse quum iis locis, quos iam protuli, confirmatur tum Cic. de diu. II, 41, 86 *sed hoc quidem genus diuinationis uita iam communis explosit.* Ac si descendisset, num poeta huius rei cum comprobatione quadam mentionem fecisset? Age uero, ut ad id, quod caput est, ueniamus, nonne in repetitione *pueri* et in illa uerborum compositione: *sacras pueri sortes* ea uis posita esse uidetur, ut certus puer, certum genus sortitionis a puero factae significetur? Quis tandem ille puer? Praenestinus ille celeberrimus in aede Fortunae Primigeniae puer sortilegus, de quo locupletissimus testis Cic. de diu. II, 41, 85 sq. *Numerium Suffucium Praenestinorum monumenta declarant, honestum hominem et nobilem, somniis crebris, ad extremum etiam minacibus, quum iuberetur certo in loco silicem caedere, perterritum uisis irridentibus suis ciuibus id agere coepisse: itaque perfracto saxo sortes erupisse in robore insculptas priscarum litterarum notis. Is est hodie locus saeptus religiose propter Iouis pueri, qui lactens cum Iunone Fortunae in gremio sedens, mammam appetens, castissime colitur a matribus. Eodemque tempore in eo loco, ubi Fortunae nunc est aedes, mel ex olea fluxisse dicunt haruspicesque dixisse summa nobilitate illas sortes futuras eorumque iussu ex illa olea arcam esse factam eoque conditas sortes, quae hodie Fortunae monitu tolluntur. Quid igitur in his potest esse certi, quae Fortunae monitu pueri manu miscentur atque ducuntur? — Fani pulchritudo et uetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen*

atque id in uulgus. Cfr. I, 18, 34 *ipsa sors contemnenda non est, si et auctoritatem habet uetustatis, ut eae sunt sortes, quas e terra editas accepimus.* Quanto autem in honore fuerint Praenestinae sortes etiam primo p. Chr. n. saeculo, elucet e Suet. Tib. 63 *Vicina urbi oracula etiam disicere conatus est: sed maiestate Praenestinarum sortium territus destitit, quum obsignatas deuectasque Romam non reperisset in arca, nisi relata rursus ad templum.* Domit. 15 *Praenestina Fortuna toto imperii spatio annum nouum commendanti laetam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit nec sine sanguinis mentione.* His locis exscriptis uix est quod adiciam. Neminem fuisse Romanum arbitror, cui legenti *sacras pueri sortes* non statim in mentem uenerit Praenestinarum unice tunc nobilium sortium, uenerit Iouis lactentis pueri cognomine insignis, uenerit denique pueri sortes tollentis, quos ambos uno uocabulo lepide designavit poeta. Quod si verum esse concesseris, ut fore spero, idem mecum pentametrum corruptum esse clamabis. Muretus quidem ita sanare sibi uisus est locum: *Rettulit e trinis omina certa puer.* Ingeniosa profecto correctura et quam adeo nequeam certiore submouere, ut submisse tantum et pudenter illud contra dicere audeam, latere fortasse mendoso loco (*e triuiis*) uocabulum, quo distinctius etiam Praenestinus sortiendi ritus denotetur, ut *e cistis.* Nam arcam ipsam, quo conditae erant sortes, magna religione fuisse et supra legimus et uotiuarum in illo templo arcarum usu (de quo cfr. Prelleri mythol. Roman. p. 563 ed. II) confirmatur; cistarum autem nomen arcis religiosis uel mysticis imponi solere notissimum; nec minus notum pluralem numerum a poetis Romanis, ubi sermo est de sacris rebus deorumque cultu, pro singulari saepissime usurpari.

17. *Aut ego sum causatus aues aut omina dira*
Saturniue sacram me tenuisse diem.

Iudaeos quanquam illo tempore Romae magnum proselytorum numerum fecisse eorumque ritus et caerimonias ita in urbe percrebruisse et inualuisse constat, ut multi Sabbatorum legem religiose obseruarent, nonnulli etiam tributa et stipes Hierosolyma in aerarium sanctum conferrent, tamen quae de hac re Tibullus hoc loco proferre uidetur, dubii quiddam habent et mirifici. Primum enim quum alibi antiquam in deis colendis fidem et morem declarat, tum in hoc carmine diserte et manifesto Deliae Isidem, aduenticiam deam, ueneranti patriorum publiceque receptorum deorum cultorem se ipsum opponit, quum dicit:

Quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tua totiens aera repulsa manu?

et

At mihi contingat patrios celebrare Penates
Reddereque antiquo menstrua tura Lari.

Illud uero etiam grauius. Quicumque alii illorum temporum poetae eiusdem superstitionis peregrinae mentionem fecerunt, aut Sabbatorum nomine aut alio modo distincte peregrinitatem rei denotauerunt, ut Ouid. a. a. I, 76; *Cultaque Iudaeo septima sacra Syro;* 415 *Quaque die redeunt, rebus minus apta gerendis, Culta Palaestino septima sacra Syro;* remed. am. 22 *Nec te peregrina morentur Sabbata;* Horat. sat. I, 9, 69 *hodie tricesima Sabbata;* Iuuen. 14, 96 *Quidam sortiti metuentem Sabbata patrem;* Pers. 5, 184 *Recutitaque Sabbata palles.* Haec ceteri. Quid Tibullus? Prisci Italorum et indigenae dei, Saturni nomine festum Iudaeorum diem significat. An quod septimi hebdomadis diei usitatum erat illud nomen? At Aegyptiorum illa hebdomadum ratio et descriptio septenorumque dierum a stellis errantibus petita nomina etsi nota tunc erant Romanis, tamen nondum cesserant in communem usum. Quae quum ita sint

quumque ad ipsius Saturni sollemnia, ad Saturnalia locus nullo modo possit referri, ea ineunda uidetur ratio, ut interpretemur rem ex more illo Romanorum ciuitate quasi sua donandi peregrinos deos. Nam quae legimus apud Tacitum (hist. V, 4): *Longam olim famem crebris adhuc ieiuniis fatentur (Iudaei) et raptarum frugum argumentum panis Iudaicus nullo fermento detinetur. Septimo die otium placuisse ferunt, quia is finem laborum tulerit; dein blandiente inertia septimum quoque annum ignauiae datum. Alii honorem eum Saturno haberi, seu principia religionis tradentibus Idaeis, quos cum Saturno pulsos et conditores gentis accepimus, seu quod de septem sideribus, quis mortales res reguntur, altissimo orbe et praecipua potentia stella Saturni feratur* — haec testimonio sunt Iudaeorum deum, ut popularis esset, quodam modo confusum esse cum Saturno illiusque sacra ab hoc deducta esse auctore. Iam uero Tibullus, quanquam exhaustis ceteris morandi excusationibus ad Sabbatorum legem confugit eique se obnoxium dicit, tamen quum illam externa domesticis miscendi consuetudinem secutus ad Saturni cultum eam legem aut refert aut, id quod nihil interest, referre se simulat, non a se suaue de patriis deis colendis opinione parum constanti animo desciscit, sed tanquam uiam sibi comparat ad eas laudes, quibus paulo post Saturni regnum effert et auream illam pacis ac tranquillitatis aetatem. Ceterum qui aliud confusorum ita deorum exemplum desiderant, eos relego ad Horat. sat. II, 3, 288 eiusque loci interpretes.

29. *Ut mea uotiuas persoluens Delia uoces*
Ante sacras lino tecta fores sedeat
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

Discordant interpretes, quum alii *uotiuas uoces* simpliciter per *uota* explicandas esse, quaeque uota sint, proximis uersibus doceri censent, primum illam ante Iseum sessionem, deinde hymnos bis in die cum reliqua Isiacorum turba edendos; alii pro *uotis*, qualiacumque sint, *uotiuas uoces* dici posse negantes ipsas illas, quae statim commemorantur, deae *laudes* his uerbis significari uniusque et eiusdem uenerationis duas partes toto loco describi contendunt. Ac partem quidem ueritatis utrique assecuti esse mihi uidentur, neutri tamen ueritatem totam. Hi enim recte *uoces uotiuas* interpretantur *uoces uotas*, i. e. *uoces ex uoto Isidi reddendas;* illi non minus recte duo genera uenerationis statuunt prorsus diuersa: altero (u. 30) sola sedens uelato capite ante aedem perfungitur Delia, altero (u. 31. 32). in turba stans resoluta coma in aede. Hae autem duae rationes ita coniungendae. Duplici quasi imagine proposita primum Delia ex singulari uoto pro amatoris salute facto adorans est deam iis precationibus, quarum et genus certum et numerum promisit, quae precationes quum summissa uoce et murmurantis ritu edantur, ut quibus uerbis conceptae sint, exaudiri non possit, aptissime *uoces (uotiuae)* uocantur. Tum communis et quotidiana supplicatio adumbratur, cui ut gratiam deae referat pro seruato amatore, diligentissime ac religiosissime interesse debitura sit.

37. *Nondum caeruleas pinus contempserat undas*
Effusum uentis praebueratque sinum.

Ne repetita, ut aiunt, crambe fastidium moueam, paucis eorum me esse profiteor, quibus illud *contempserat* probari non potest ut Tibullianum, non quo nimis grauiter ac magnifice dictum esse arbitrer, ut arbitratus est Heynius, sed quaesitum ac putidum mihi uidetur uocabulum alienumque a Tibulli simplicitate dicendi, quae ceteroqui hac in descriptione aureae

aetatis maxime eminet atque elucet. Quod iudicium quum in opinione ac sensu magis positum sit quam in causis extrinsecus petitis, non habeo, quod ad conuincendos aduersarios addam. At habeo, quod iis, qui meae fauent sententiae, ad emendandum locum proponam. *Temptauerat* enim pro *contempserat* legendum mendumque ex eo ortum esse puto, quod *con* syllabae per compendium scriptae signum, simile *us* syllabae signo, inter *pinus* et *temptauerat* irrepserit.

51. *Parce, pater: timidum non me periuria terrent,*
Non dicta in sanctos impia uerba deos.
Quod si fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis.

Miratur L. Müllerus, quod nemo ante se complures uersus inter haec duo disticha excidisse perspexerit. Ieiunam enim esse precationem illam ad duos uersus redactam, qua Iouis misericordiam imploret; deinde arrogantis esse a Ioue Optimo Maximo petere, ut sibi exstruat monumentum. Hac prece Messallam potius adeundum fuisse. Haec deprehendisse sibi uidetur uir doctissimus. Sed uereor, ne nimium sagax fuerit. Nam quod ieiunitate quadam et inopia loci commotus est, quum nec obscura nec abrupta sit sententia, illud profecto poetae arbitrio concedendum est, utrum diutius uersari malit in hac re an breuiter ea perstricta festinare ad alia. Et iure festinauit, ne recideret in querelas de mortis periculo antea effusas neue eadem peteret a Ioue, quae ab Iside per Deliam antea petiuerat. Arrogantiae autem illud crimen ita propulsari posse existimo. Mandat Ioui, ut ait Dissenius, quum alium, cui mandet, non habeat, ut in simili rerum discrimine fecit Aiax Sophocleus (u. 823 sqq.)

ἐκ δὲ τῶνδέ μοι
σὺ πρῶτος, ὦ Ζεῦ, καὶ γὰρ εἰκός, ἄρκεσον.
αἰτήσομαι δέ σ' οὐ μακρὸν γέρας λαχεῖν.
πέμψον τιν' ἡμῖν ἄγγελον, κακὴν φάτιν
Τεύκρῳ φέροντα.

Mandat autem Ioui non ut sepulcrum ipse exstruat, sed hoc mandat: effice, ut monumentum mihi exstruatur (ab amicis huc reuersis). Quod quidem non magis arroganter dictum est, quam quod paulo post sperare se dixit: *ipsa Venus (me) campos ducet in Elysios*, non magis arroganter quam quae Ouidius et Propertius orauerunt, ille ep. ex Ponto I, 2, 149 sqq.

Confugit haec ad uos, uestras amplectitur aras —
Iure uenit cultos ad sibi quisque deos —
Flensque rogat, precibus lenito Caesare uestris,
Busta sui fiant ut propiora uiri,

hic IV, 15, 25. 26

Di faciant, mea ne terra locet (domina) ossa frequenti,
Quo facit assiduo tramite uulgus iter.

Sed non modo nihil est hoc loco, quod desideretur, uerum ne possunt quidem dirimi haec disticha, quod maximo quasi uinculo connexa sunt. Perspicuum enim est duo genera mortis inter se comparari, praematuram mortem a diis propter impium aliquod facinus immissam et fatalem mortem suo cuique annorum numero expleto obeundam: illam deprecatur poeta, quod nihil impii in se admiserit; haec si fato sibi constituta sit, monumenti honore postulat ut afficiatur.

Jahresbericht
über das Schuljahr von Ostern 1872 bis Ostern 1873.

I. Chronik.

Auch während des verflossenen Schuljahres haben sich im Bestande des Lehrercollegiums nicht unbedeutende Veränderungen zugetragen. An Stelle des Herrn Cand. Leuner, der, nachdem er vom 14. August 1871 an das Amt des 2. Mathematikers vicariatsweise verwaltet hatte, Ostern 1872 unsere Stadt verliess, um eine Stelle an einer Privatrealschule in Hamburg zu übernehmen, trat durch Verordnung des königl. Cultusministeriums vom 2. April der Cand. des höhern Schulamts, Herr Reinhold Schönfelder aus Dresden, als provisor. Oberlehrer.*) Derselbe, am 9. April, als am Tage des Beginns der Lectionen des Sommerhalbjahrs, von mir in sein Amt eingeführt, wurde bereits am 3. Juli nach eingeholter Zustimmung des Stadtraths in Anerkennung seiner Wirksamkeit unter Erhöhung seines Gehaltes zum 15. ordentlichen Lehrer und 2. Mathematiker ernannt.

Weitere Veränderungen folgten. Mit dem Schlusse des Sommersemesters schieden aus unserm Verbande 2 unsrer Hochachtung und Liebe gleich würdige Collegen, die Herren DD. Wendler und Sorgenfrey, vom Gemeinderath der Stadt Greiz ersterer als Director und Organisator, letzterer als 1. Oberlehrer an die daselbst neu begründete höhere Lehranstalt berufen. Möge beiden in der neuen Heimath eine lange, reich gesegnete Wirksamkeit beschieden sein, möge die junge Schwesteranstalt, der wir zur Gewinnung dieser beiden tüchtigen Lehrkräfte aufrichtig gratuliren, sich frisch und fröhlich entwickeln! Die umsichtige Fürsorge der höchsten Behörde, der wir dafür zu vielem Danke verpflichtet sind, ersparte unserer Schule einen weiteren drohenden Verlust, indem sie (Verordn. vom 21. Sept.) Herrn Dr. Wünsche vom 1. April a. c. an eine jährliche Gehaltszulage von 100 Thalern zusicherte, und verhinderte empfindliche Störungen im Unterrichtsgange durch sofortige Wiederbesetzung der erledigten Stellen. Für Herrn Dr. Wendler trat in unser Collegium Herr Dr. Lippold, bisher Oberlehrer an hiesiger Realschule**), und zwar als 10. Oberlehrer, nachdem die Herren

---

*) Georg Reinhold Schönfelder, 1841 in Bautzen geb., erhielt seine Vorbildung zum Lehrerberuf in den Jahren 1855—61 auf einem Dresdner Seminar. Die darauf folgenden 9 Jahre wirkte er als Lehrer an den vereinigten städtischen Schulen zu Meissen. Ostern 1870 gab er diese Stellung auf und bezog die Universität Leipzig, um vorzugsweise mathematischen Studien sich zu widmen. Nachdem er im März 1872 die Candidatur des höheren Schulamtes erlangt, wurde er vom Königl. Ministerium an das hiesige Gymnasium berufen.

**) Gottlob Friedrich Lippold wurde geboren 1844 zu Altenburg, besuchte das dortige Gymnasium — 1865, studirte Sprachwissenschaft und deutsche Philologie in Jena 3 Semester und setzte diese Studien unter Hinzunahme des Romanischen in Leipzig fort. Nach Erlangung der Doctorwürde Anfang 1869 (Dissertation über die Quellen des Gregorius Hartmanns v. Aue) verbrachte er 1 Jahr in Paris, wurde Ostern 1871 nach Ablegung der Prüfung für das höhere Schulamt an der hiesigen Realschule angestellt und Michaelis 1872 durch das Vertrauen des Königl. Ministeriums an das Gymnasium berufen.